

valentiniana, & nuperrime habita dissert. D. RECHENBERG ad tritum illud Tertulliani: *an hereticorum patriarchae sint philosophi?*

§. XVII.

Hæc si forte non sufficiant, addam brevibus specialiora controversiarum quædam exempla, quarum origo ex historia nostra repetenda. Nolo hic exscribere, quæ habet MARTINUS CHEMNITIUS *l* de historia cœlibatus, qui primus hic exemplum ex nostris theologis suppeditat. Id tamen diffiteri non queo, plurima romanæ ecclesiæ instituta origines suas ex veteri philosophia admodum probabili ratione derivare, aut saltem cum iis valde convenire. Ita videat quis inseparabilem illam, quam coibant Pythagorici, societatem, quæ *κοινὸς βίον* antiquum referebat, apud GELLIUM, *m* IAMBlichum, *n* JUSTINUM, *o* judicetque annon admodum verosimili ratione inde arcessenda sit Cœnobiorum, quæ hucusque florent, vel origo vel occasio. *p* Inprimis vero Cartusianorum instituta cum philosophia Pythagoræ conspirant egregie: Abstinentia eorum est plusquam notissima, sed nec illa ignoratur, quam exercuit Pythagoras, apud IAMBlichum *q* & SENEcam, *r* in quo jam olim imitatore habuit Priscillianum cum sequacibus, uti observat illustris SCHILTERVS. *s* Eminent etiam inter instituta Cartusianorum

Quod specialius declaratur.

C 2 fere

- l* In exam. Concil. Trid. part. III.
- m* Noct. Att. L. I. c. IX.
- n* De vita Pythag, L. I. c. VI.
- o* L. XX. c. IV.
- p* Vid. huc Job. Schilteri institutiones juris canonici Lib. I. Tit. XI §. II p. 97.
- q* L. I c. XXIV.
- r* Ep. 108. Pythagoras carnibus abstinebat animalium, dicebat enim omnium erga omnia esse cognationem &c. hæc ex ore Præceptoris sui Sotionis Seneca Ep. 108. p. 420.
- s* In manud. philos. *n* *real. ad jurisprud. c. VI. §. 24.*